

Nicolaus Schütze Friedrich Cothman

Centuria Conclusionum Iuridicarum De Possessione

Rostochii: Pedanus, 1633

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731839935>

Druck Freier  Zugang



Seite

Nic. Schütz (Fridr. Cothmann)

RN. iur 1633.

Hert-

/a

Hand

CENTURIA
CONCLUSIONUM JURIDICARUM

De

POSSESS-
SIONE.

Quam


Decreto Amplissimæ Facultatis Juri-
dicæ in Academia patria

AUSPICE JEHOVA
PRÆSIDE

Viro Clariss. Excellentissimo, & Consultissimo
DN. NICOLAO SCHUTTEN,
J. U. D. & Professore Codicis celeberrimo
nec non p. t. DECANO

*Pro consequendis in utroq; jure Doctoralium
privilegijs publica disquisitioni & censura
subjicit.*

FRIDERICUS COTHMAN, Rostoch.
In Auditorio Majori ad diem *5. Septemb.*
horis matutinis & pomeridianis.



ROSTOCHII,

Typis exscribebat JOACHIM. PEDANUS Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXIII.

CONCILIUM JURIDICUM
DE

POSSE
SIONE

Doctoro Amplissimo Facultatis Juris
in Academia

ABRICHENOV

DM NICOLAUS SCHÜTTE

U. D. Professor Ordinarius
DECANO

Pro rectoris officio in hunc locum

FRIDERICUS COTHMAN

in hunc locum

ROSTOCK
ANNO MDCCLXXII



THESIS I.

Possessionis vocabulum in jure est varium & multiplex: quandoq; enim ejus appellatione ipsa rei præhensio venit.

II.

Quæ cum possessionem antecedit, Ejusdem velut origo potius constituenda, quàm propriè nuncupanda possessio.

III.

Aliquandò pro re ipsa accipitur, eamq; significationem, licèt impropriam: attamen nec Canones nec Leges improbant. Nonnunquàm pro usurpatione accipitur.

IV.

Alio modo impropriè loquuntur leges, quando possidere asserunt eos, qui reverà tantùm detentionem, in specie sic dictam, habent.

V.

Propriè verò sumpto vocabulo possessionis, & de quâ nostra erit disputatio: Possessio nihil aliud est, quam usus quidam rei.

A 2

VI. Quæ

VI.

Quæ secundum Papinianum Jctum in rei corporalis possessionem & rei incorporalis quasi possessionem distinguitur.

VII.

Eamq; divisionem utpote ab illo, quem Imperatores ipsi prudentissimi epitheto cohonestarunt, nobis traditam nequaquam improbat Ulpianus, possessionem aliam corporis aliam juris, vel aliam rei aliam juris esse respondens.

VIII.

Solam corporis possessionem nonnulli veram possessionem appellant: Quo juris textu, ipsi viderint?

IX.

Corporalis rei possessio vel animo domini vel citra animum domini occupatur & detinetur.

X.

Prioris generis possessio vero rei domino competit, etsi usumfructum alteri concesserit.

XI.

Domino annumeratur bonâ fide (nullâ adhibitâ causâ lucrativâ aut onerosâ distinctione) adeoq; pro donato vel pro emptore possidens.

XII.

Posterioris generis possessionem creditoris esse propriam, jura nostra haud obscure innuunt.

XIII.

Creditor autem intelligatur is, qui ex conventionem rem pignori datam pro credito sive pro pignore possidet.

XIV. Ia.

XIV.

Incorporalis rei quasi possessio itidem vel cogitatione domini vel citra animum dominij cum affectione tamen quasi possidendi nobis adquiritur.

XV.

Usufructuarius enim ipsum usumfructum ut dominus quasi possidere asseritur.

XVI.

At qui sibi per fundum alienum eundi jus quasi possidere licere, precario rogavit, non animum dominij sed quasi possidendi tantum affectum habere de jure censetur.

XVII.

Et pro hac diversitate cogitationum rem apprehendentis possessio alia dicitur civilis alia naturalis, alia civilis quasi alia naturalis quasi possessio concurrente scilicet titulo justo: ut puta pro suo, pro donato, pro empto, pro pignore, pro precario & similibus.

XVIII.

Si igitur injusta nitatur causa, vel justae causa titulus pro possessore insit, res corporaliter, non civiliter neque naturaliter possideri nec quasi possideri dicitur sine distinctione: animum domini possessor habeat, an verò nudam possidendi affectionem.

XIX.

Ut hac ratione, qui merces naufragas, littori appul-

appulsas, præhendit & occupat, licet animo domini, non tamen civiliter sed corporaliter tantum eas possidere existimetur.

XX.

Qua in re omnia mundi jura consentire videntur, ut alibi loquitur Borcholt, cum non minus ex Jure Civili & Carolina Constitutione criminali, quam ex Jure Canonico id astruere liceat.

XXI.

Pari ratione ex Ordination. Imperij inciviliter (uti hac loquendi formulâ vas electionis & fons juris utitur) possidere intelligitur Judex, qui res furtivas à fure sibi vindicat.

XXII.

Quem abusiva consuetudo nequaquam tuebitur, cum & Canones hujusmodi possessorem nihilo magis civilem agnoscant possessorem.

XXIII.

Corporalem quoque non verò naturalem habet possessionem creditor, qui forte solutâ rem pignori acceptam restituere tergiversatur.

XXIV.

Incivilem præterea quasi possessionem jurisdictionis sibi defendit, (uti Pragmaticorum patris verba sonant) qui facit homines alterius confiteri, quod sint suæ jurisdictionis, vel sacramentum fidelitatis ab ijs extorquet, vel facit eos abjurare & renunciare jurisdictioni prioris domini.

XXV.

XXV.

Deniq; naturalis quasi possessio juris eundi per fundum precario concessi in corporalem degenerat, si quis mutata domini voluntate & precario revocato isto jure uti pergat.

XXVI.

Hiscè consequens erit investigare : Quinam non possideant, (propriè nimirum sumpto possessionis vocabulo) Et primò ex mente Pauli JCti ineptissimum erit statuere, eum, qui rei servandæ causa à prætore ex primo Decreto in possessionem mittitur, quia damni infecti non caveatur, quocunq; modo possidere.

XXVII.

Nec inter genera possessionum ponitur, si quando uxor dotis conservandæ ergò bona mariti occupare jubeatur.

XXIIX.

Quemadmodum & is, cui legatorum fideivè commissorum causâ non cavetur, & ob id in possessionem missus rerum custodiam & observationem nanciscitur, neq; civiliter neq; naturaliter possidet.

XXIX.

Ac quamvis alij, re precario simpliciter rogatâ & non annexâ petitione à precario accipiente, ut sibi possidere liceat, possessionem transferri velint, attamen quo minus ijs Authoribus adstipulemur, cum expressi juris textus cum rationes non vulgares prohibent.

XXX. De

XXX.

De eo, cui res commodatò data est, idem iudicium esto: Possessoris enim nomen secundum jus Commune haud meretur, non obstante, quod in Legibus nostris aliquandò possidere dicatur.

XXXI.

Nam & depositarius naturalem dicitur habere possessionem, cum tamen reverà non possideat, sed saltèm teneat.

XXXII.

Sic nullà gaudet possessione, qui ex conducto rem tenet.

XXXIII.

Eodem jure censetur usufructuarius, nam & illum ne quidem naturaliter rem in usumfructum datam possidere, juridicè concluditur.

XXXIV.

Quin & dominus rem in feudum alteri concessam neq; naturaliter neq; civiliter possidere de jure Feudali asseritur.

XXXV.

Cæterùm, uti horum causâ, qui non possident, non necessaria foret inquisitio aut personarum, per quas possessio vel quasi acquiratur, aut rerum, quæ possideri sive quasi possideri possint, Sicuti nec investigatio ipsius modi, quo ea apprehendatur, retineatur, amittatur, Ita aliorum gratiâ, quos vel civiliter vel naturaliter: justè vel injustè possidere & quasi possidere diximus, neutiquam hæc erunt negligenda aut omittenda.

XXXVI. Ac-

XXXVI.

Acquirimus igitur possessionem vel per nosmetipsos vel per personas juri nostro subjectas vel deniq; per homines extraneos.

XXXVII.

Per nosmetipsos: si ejus sumus ætatis, ut intellectu mhabeamus.

XXXIIX.

Qui tamen solus non sufficit: nisi enim accedat affectio nostra rem tenendi, possessores non constituimur.

XXXIX.

Nec minùs nos animum accipiendi possessionem habere oportet, quando non per nosmetipsos sed per personas nobis subjectas eam adipisci annitimur.

XL.

Sed ut ut juris authores filium familias servo: & servum filios, plærumq; conjungere soleant, atamen cum filiusfam. à patre non æquè, ac servus à domino possideatur, consequitur indè, nec uno eodemq; modo patri per filium, domino per servum acquiri, adeoq; in hoc possessionis occupandæ negotio commodè definiendo nonnullas differentias tradendas, & distinctè de illis personis agendum esse.

XLI.

Prima enim differentia est illa, quod pater familias non possessionis alicujus intuitu, quam prætere possit, sed ratione patriæ potestatis à filios, possessor constituatur.

B

XLII. Do.

XLII.

Dominus verò per servum non ratione dominicæ potestatis, sed vi possessionis efficiatur rei à servo homine apprehensæ possessor.

XLIII.

Secundâ secundum nonnullos (quorum assertioni jura & ratio suffragantur) subsequitur distinctio, quod scilicet filiusfam. si modò in sacris patris. reverà sit constitutus, nec alij bonâ fide serviât, ipsi patrifam. ignorantî patriam potestatem, possideat.

XLIV.

Dominus verò per servum, quem alterius esse opinabatur, nihil consequatur.

XLV.

Tertiò aliquid discriminis subest in eo, Quod is, qui liberum hominem adrogatione legitime haud factâ patriæ suæ potestati subicere tentat & præsumit, ejus, ut filij, operâ & studio possessionem non adipiscatur.

XLVI.

At si bonâ fide liberû, ut servum titulo emptio- nis possideat, per eundem aliarum etiam rerum possessionem acquirere possit.

XLVII.

Absit tamen, indistinctè indè concludamus: Ergò quicquid liber homo, bonâ fide serviens, apprehendit, ejus quoq; possessionem is, cui servit, sibi vindicaturus est; Ad ipsum etenim liberum hominem pertinet, quod non ex operis ejus nec ex re putativi domini quæritur.

XLVIII.

XLVIII.

Bonæ fidei non sine ratione fecimus mentionem, cum liber homo, interveniente malâ fide, non possideatur, Cumq; res ita se habeat, multo minus per illum res ejus ab alio possidebuntur.

XLIX.

Quod si filius & servus nesciant, quid agant nec animum possessionem apprehendendi afferât, per neutrum acquiritur possessio.

L.

Idem Juris est, si non patris nec domini, sed aliorum nomine occupetur possessio.

LI.

Extraneos quod attinet, notum est, per tutorem pupillis operam quàm maximam præstari in eo, ut possessionem consequantur.

LII.

Et hoc in casu duo requisita posteriora, quæ in filios & servo desiderantur, omninò sunt necessaria, scilicet, ut intellectum habeat tutor, nec proprio aut aliorum nomine nanciscatur possessionem, sed solis pupillis suis operam accommodet.

LIII.

Nùm verò primum requisitum, de quo in thesi 39. actum, abesse possit, adeoq; pupillo infanti, qui ejus ætatis nondum est, ut intellectum capiat, nihilominus tutore authore censeatur acquisita possessio, res est altioris indaginis? Agentium opinio verior & juri convenientior videtur.

LIV.

Si tamen injusta fuerit possessio, eandem per tutorem non æquè infantis fieri, tametsi corpore suo rem contingat, existimandum est.

LV.

Tantum abest, ut de curatore furiosi hoc ipsum aliquis affirmare audeat.

LVI.

Quin potius per eundem ne quidem justam rerum possessionem furiosi nomine apprehendi posse, firmiter statuendum.

LVII.

Uti nec paterfam. filium infantem & intellectu carentem, ejusdem nomine occupando rei possessionem, sive justum sive injustum possessorem constituit.

LVIII.

Quoad procuratorem omninò dispiciendum erit, num speciale mandatum habeat, nec ne? Quod enim procurator specialis nescientes nos possessionis alicujus facere possit participes, neutiquàm negandum.

LIX.

Sed absolum fit exindè colligere, tam injustam quàm justam procuratoris ministerio nobis ignorantibus acquiri possessionem, cum nec in tutore ejusdemq; pupillo infante thesis nostra 54. hoc ipsum admittat.

LX.

Per procuratorem igitur speciali mandato haud munitum, sed tantum generaliter constitutum non
proti-

protinùs, sed tum demùm, cum acquisitionem ratam & gratam habemus, possessio nobis obvenire creditur.

LXI.

Quo casu ratihabitio minimè retrotrahitur, aut mandato comparatur, proindeq; non à tempore apprehensæ possessionis, sed supervenientis ratihabitionis: non ex tunc sed ex nunc (uti loquuntur Interpretes) nobis ea censetur acquisita.

LXII.

Si autem procurator præsentis & non prohibentis nomine rem apprehendat, nullâ opus erit ratihabitione, adeoq; frustra quæritur, num à tempore acquisitionis an ratihabitionis domino possessio sit attribuenda?

LXIII.

Aliàs quàm maximè distinctio illa observanda; utpote, quæ ad controversias dirimendas & casus dubios resolvendos frequentius adhiberi poterit.

LXIV.

Quemadmodum & hæc quæstio: Num procurator, qui ministerium & operam suam in apprehendendâ possessione nobis præstat, reverà possideat, an verò nos potius, quibus ministerium præbetur, pro genuinis ac veris possessoribus simus æstimandi & agnoscendi? multum utilitatis secum trahit.

LXV.

Nequaquam igitur ea silentio erit prætereunda.

da. Et quamvis Dd. non infimi subfellij rationibus suis evincere studuerint: Procuratorem, qui ministerium præbet, reverà esse possessorem, contrarium tamen hinc inde ex Legibus colligitur.

LXVI.

Sic nec quilibet alius, qui nostro nomine sive in adipiscenda sive in retinenda possessione operam suam impendit, civiliter aut naturaliter possidet, sed tantum in possessione est;

LXVII.

Præter procuratorem enim & aliæ liberæ personæ ope & studio suo nos possessores efficiunt, quæ ad procuratorem generalem propius accedunt, quàm ad specialem.

LXVIII.

Idq; ut exemplis declaremus: Deponentem per depositarium; Dominum prædij urbani vel rustici per inquilinum vel colonum possidere asserimus.

LXIX.

Nec tantum per prædictos inquilinos & colonos possessionem antea apprehensam retinemus, (quod pleriq; facile largiuntur) verum etiam, quam nunquam habuimus, per illos adipiscimur, licet id nonnulli, nullis juris textibus suffulti, strenue negare audent.

LXX.

Haftenus de personis, quæ vel suo vel alieno nomine possideant: Ordinis ratio postulat, ut ad res, quæ possidentur vel quasi possidentur, transficimus.

LXXI. Re-

LXXI.

Regulariter igitur, quicquid rei appellatione venit, & consequenter tam incorporalia quasi possideri, quam corporalia possideri statuimus.

LXXII.

Non distinguentes cum Accursio inter res mobiles & immobiles, quasi hæc propriè, illæ minùs propriè possideantur: In hoc enim prædictus Accursius minimè accurrit aut succurrit contra tenebras Juris Civilis, ut quidem ipse de hoc suo nomine gloriatur, Neq; hæc ipsius glossa est instar navis, quæ per vastum pelagus Juris naviget, & in portum veritatis nos ducat, uti Salicetus prædicat.

LXXIII.

Omninò autem requiritur, ut res sit certa, quam quis possidere tentet, & cujus possessione cum effectu perfrui velit.

LXXIV.

Dicitur res certa. (ut Primas Jctorum Germaniæ casum format) quando tres sunt fratres heredes, qui fundum hereditarium pro indiviso possident, & primus tertiam suam partem communis fundi secundo vendit.

LXXV.

Non minùs secundum eundem Jctum res certadicitur, si locus sive portio aliqua fundi per situm & regionem, aut interseptis, sulcis item lapidibus sive limitibus aratorijs demonstretur.

LXXVI. Ul-

LXXVI.

Ulterius requiritur, ne res commercio vel omnium vel quorundam hominum sit exempta.

LXXVII.

De jure namq; communi res sacræ, sanctæ, religiosæ & id genus alia â nemine possidentur.

LXXVIII.

Sic nec vigore Statuti Lubecensis, si quando inter Reverendi Capituli membrum & civem urbis permutatio ædium intercederet, earundem justa possessio ab uno ad alium transfiret,

LXXIX.

Restat, ut summatim rationem & modum acquirendæ, retinendæ & amittendæ possessionis vel quasi scrutemur, nec indiscussum relinquamus? Quoad acquisitionem distinguendum erit, num rei possessio jam antè ab alio sit occupata nec nè.

LXXX.

Posteriori casu solum ipsius acquirentis, vel cujus ministerio utitur, factum desideratur, scilicet, ut animo & corpore possessionem occupent: Utrumq; enim requiri, neq; solo animo, neq; solo corpore apprehensionem fieri posse, certo certius est.

LXXXI.

Proculejanos quidem solo animo in possessione obtinenda contentos fuisse, affirmat Author quidam, & qui hoc inficiari audeat, nugatorem vocat,

vocat, nec ei auscultandum esse ait, verum enim-
verò & absq; nugis hoc ipsum negari posse, scien-
dum est,

LXXXII.

Animum Paulus J Ctus interpretatur affe-
ctionem : affectum : cogitationem : judicium :
mentem : opinionem. Papinianus verò proposi-
tum. Pomponius voluntatem.

LXXXIII.

Proinde si furiosus, quem suæ mentis esse e-
xistimamus, quod fortè in conspectu inumbratæ
quietis fuit constitutus, rem aliquam apprehen-
dat, possessionem non adipiscitur,

LXXXIV.

Quin etsi accipiens maximè sit sanæ mentis,
animum tamen errantem vel timore perculsum
afferat, in adipiscenda possessione voti sui compos
haud reddetur. Sic igitur apprehendentis animus
constans, certus & exploratus, non anceps aut titu-
bans.

LXXXV.

Corpus non tantùm de toto corpore, sed & de
quavis ejus parte possessioni apprehendendæ ido-
nea, ut puta Celsus J Ctus de pede, Paulus & Justi-
nianus Jmperator de manu interpretantur.

LXXXVI.

Eamq; interpretationem cum populariter,
tùm in sensu Juridico accipimus, Non igitur rem
tantùm eam possidemus, quam naturali nostrâ ma-
nu contingimus, verùm etiam, quam per manum
longam : mediam ac brevem apprehendimus.

C

LXXXVII.

LXXXVII.

Per corpus etiam quemvis corporalem actum
intelligimus.

LXXXVIII.

Quapropter acervum lignorum si quis emat,
& eum venditor tollere jubeat, simulatq; emptor
custodiam posuisset, traditus videtur.

LXXXIX.

Nihil autem interest, corpore proprio, an alicuj
no possessioni quis incumbat.

XC.

Licet quoad animum secus se res habeat, &
non nisi animo proprio possessionem apprehenda-
mus.

XCII.

Priori casu: quando scilicet de possessione vel
quasi ab uno ad alium transferenda agitur, præter
factum acquirentis necessaria erit & transferentis
actio, quæ consistit in eo, ut prior rem possidere
desinat.

XCIII.

Si igitur animo domini alterius fundum ingre-
diamur, ejusdem possessionem nobis non prius
obvenire, quam vetus dominus animo & corpore
civilem relinquat possessionem, adeoq; duos in
solidum civiliter possidere non posse, existima-
mus.

XCIV.

Quemadmodum nec naturaliter res una ea-
demq; in solidum possidetur, quod etiam non ita
vehementer controvvertitur.

XCIV. Sed.

XCIV.

Sed obscurior olim suborta est quæstio, in quâ explicandâ & definiendâ in hunc usq; diem à pluribus laboratur. Num scilicet alter civiliter, alter naturaliter: item alter justè alter injustè in solidum possidere possit? quod similiter negandum erit.

XCV.

Non enim approbamus opinionem eorum, qui maritum civiliter, uxorem naturaliter dotem possidere affirmant.

XCVI.

Sed potius hanc, ut juris textibus suffultam sententiam supponimus, Quod maritus dotem civiliter possideat, mulier nec civiliter nec naturaliter.

XCVII.

Cæterum retinemus possessionem animo & corpore simul, animo proprio: corpore etiam alieno.

XCVIII.

Solo corpore non retinemus, & eatenus inter acquisitionem & retentionem nihil interest.


XCIX.

Animo autem solo, quamvis eo non quærat, conservari tamen videtur.

XCIX. A


C.


Deniq; quemadmodum nulla possessio, sive
ea sit civilis sive naturalis, sive iusta sive iniusta,
acquiri nisi animo & corpore potest, ita nulla amit-
titur, nisi in quâ utrumq; in contrarium actum
est. Plura præfinitus thesaurum numerus reuiv,
superiora igitur Disputationis loco pro-
posuisse sufficiant.



ex libris nobis

A. XIX.





usculandum esse ait, verum enim-
ugis hocipsum negari posse, scien-

LXXXII.

Paulus Jctus interpretatur affe-
ctum: cogitationem: judicium:
onem. Papinianus verò proposi-
s voluntatem.

LXXXIII.

furius, quem suæ mentis esse e-
od fortè in conspectu inumbratæ
nstitutus, rem aliquam apprehen-
m non adipiscitur,

LXXXIV.

accipiens maximè sit sanæ mentis,
errantem vel timore perculsum
scenda possessione voti sui compos.
Sit igitur apprehendentis animus
& exploratus, non anceps aut titu-

LXXXV.

a tantum de toto corpore, sed & de
e possessioni apprehendendæ ido-
sus Jctus de pede, Paulus & Justi-
or de manu interpretantur.

LXXXVI.

erpretationem cum populariter,
ridico accipimus, Non igitur rem
fidemus, quam naturali nostrâ ma-
verum etiam, quam per manum
m ac brevem apprehendimus.

C

LXXXVII.